

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

§. I. Motiva perfectè operandi sæpe expendenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

nibus, locutionibus, sive actibus tuis, dicit  
tibi: Itane ageres, si hanc scires pro certo  
novissimam vita tua horam? S. Bernard.  
in form. hon. vit.

## II. PRAXIS.

*Opera sua perfectè seu modo per-  
fectissimo exercendi.*

**S**acerdoti in stadio ac studio perfectio-  
nis plusculum progresso excellentior  
paulatim quasi per passus & gradus via  
intranda est, & charismata meliora æmu-  
landa sunt; ut indies ad perfectiora &  
perfectiora indesineatur aspiret, donec  
apicem perfectionis ac sanctitatis con-  
scendat; illos imitans, de quibus scribit S.  
Gregorius Nazian.orat. i. in Jul. Qui nul-  
lum ascensūs & Deificationis modum  
seu terminum agnoscebant.

*§. I. Motiva perfectè operandi  
sæpe expendenda.*

I. Voluntas Dei per Apostolum pro-  
mulgata: *Hæc est voluntas Dei sanctifica-  
tio vestra.* i. Thess. 4. Ipse Deus Deut. 18.  
voluntatem suam declarat: *Sancti estote,*  
quo-

quoniam ego sanctus sum. Et Christus Dominus. Matth. 5. Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est. Et S. Petrus Apost. 1. suæ Epist. c. 1. Secundum eum, qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis. Et Ephes. 1. Immaculati in conspectu ejus. Phil. 1. sitis sine querela & reprehensione. Quæ sacerdotibus magis, quam aliis convenient.

II. Poscit hoc creatio nostra, quâ ad imaginem & similitudinem Dei conditum sumus, cuius perfecta sunt opera.

III. Hoc requirit Incarnatio verbi: quia, teste S. Augustino serm. 13. de temp. Deus factus est homo, ut homo fieret Deus: scilicet per Christi Domini imitationem & similitudinem; quod potissimum Sacerdoti, Christi personam sustentanti convenit.

IV. Hoc exigit mors Salvatoris, eo fine obita, ut exhiberet Ecclesiam non habentem maculam aut rugam; sed ut sit sancta & immaculata. Ephes. 5. Cujus Sacerdotes, inter membra præcipua recensentur.

V. Hoc docet recta ratio: homo enim mediocri bonitate contentus, & non ad per

perfectionem ac sanctitatem omnimodo-  
dam aspirans minùs prudenter agit : nam  
pro corpore quærit semper meliora, vestes,  
cibos, potum, habitationem & alia om-  
nia ; pro anima tamen sua, non quærit ei  
magis profutura in æternum. An non hæc  
cæcitas est & stultitia ?

VI. Denique postulat id, ipse status &  
munus sacerdotale, prorsus divinum. *Qui*  
*sacerdotem dicit, augustiorem, prorsusq;*  
*divinum insinuat virum.* ait S. Dionyt.  
Areop.de Eccl.Hierarch c l.Cujus officium  
est, ut scribit S. Gregorius Nazian. *Deifica-*  
*re homines & ad vitam quandam Divi-*  
*nam elevare.* *Quidni igitur ipse prius*  
*elevetur ac Deificetur?*

Conclude cum Gersone: 3. p. tr. de  
myst. pract. industr. 4. Mala, itaque, est  
ista vox multorum, sufficit mihi vita com-  
munis: si cum multis salvari potero, satis  
est: nolo merita Apostolorum, nolo vola-  
re per summa, incedere per planiora con-  
tentus sum. Verus enim amor, ut loquitur  
S. Laurentius Justinianus de casto Con-  
nub.c.2. Gradu uno contentus non est, ad  
altiora semper nititur, & ad perfectiora  
inde-

indesinenter concupiscit attingere : dicens cum Apostolo, quæ retro sunt obli-  
viscens, ad anteriora extendens me, pro-  
sequor ad ipsum destinatum bravium su-  
pernæ vocationis Christi Jesu. Noli ergo  
degenerare, ô Sacerdos ! à præcessis cogi-  
tationibus Filiorum Dei ; Itò, ut Seneca  
ait, contra opinionem vulgi, sicut stellæ,  
ab occidente in orientem: & metire aetio-  
nes tuas magnâ mensurâ Magnorum &  
Herorum.

### §. II. Praxis ipsa perfectè operandi.

Consistit in hoc ut 1. perfectiora ob-  
jecta. 2. Perfectiore intentionem. 3. Per-  
fectiore modum amplecta-  
ris. Itaque

I. In omni occasione bene operandi,  
seu ultrò oblata, seu quæsita, quantum  
potes, & quantum licet, objectum per-  
fectius elige, & quod è duobus bonis me-  
lius & Deo gratius judicas, arripe. Sic v.g.  
ceteris paribus, longior oratio breviori;  
major eleemosyna, minori; jejunium arcti-  
us, laxiori; opus difficilius, faciliori; amor  
inimicorum, dilectioni amicorum; lectio